6

~~N.º 21~~

Dissertatiō Medica

N.º 7

De regulis medicamenta

praescribendi

25/

Authore

D. Joanne Josepho Garcia Sevillano

1746

Dissertatio Medica de Regulis Medicamenta praescribendi

Praemissis jam in anteriori dissertatione, quae de medicamentorum Natura, eorundem classibus seu ordinibus, et operandi ratione dicta fuerunt opportuna, superest modo ut regulas illa praescribendi manifestemus.

Prima regula est, quod dum morbus se offert simplex, illiusque simplex indicatio, remedium simplex ut plurimum praescribendum est. Haec regula multipliciter suadetur. Primo: quia hoc modo facilius et certius experiuntur virtutes vires specificae medicamentorum, cum istae neque ex sapore, neque ex aliis sensibilibus, imo nec ex ratione mere speculativa, sed ex usu saepe repetito nobis innotescant. Hinc felicem praedicat Helmontius doctorem, qui Medicus novit curare simplicibus; et dolum esse ait Arnaldus de Villanova compositis uti ubi simplicia sufficiunt, et in promptu habentur; ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ natura enim simplex, et ipsa ac uniformis cum sit, simplicitate gaudet.

Notum est omnibus quod alimenta diversa assumpta, stomacho laborem pariunt, et sanguinem perturbant, multo ergo magis ventriculum gravabit, et sanguinem male afficiet alterantium illa medicamentorum horrida farrago, quae solet praescribi. Aliter enim fieri nequit quin variis simplicium virtutes tam cognitis quam incognitis confundantur, et unum alterius activitatem impediat; contrarias aliis scopo destinato exerceat virtutes, et loco adiumenti, nonne detrimentum adferat ut ait Hethm cap. 4. de method. ex Zubelfferi Pharmacop. et Helmontius tract. de dispensatione § 524.

Quamobrem David Hamilton cum ad praxim se accinxit, ut virtutes magis specificas remediorum sibi clarius innotescerent, de viribus simplicium primo facere debuit experimentum; qua de causa a consultationibus Medicis tunc temporis ut plurimum, aut secessit, ne a sophismate aliorum, aut ab authoritate Medicorum seductus erraret.

Primum quod fecit experimentum, ut inquit, fuit de corticum aurantiorum in nimio mensium profluvio à Ludovico Septalio lib. 7. animadversionum tantopere laudatum, et etiam à Riverio, qui verba Septalii transcribere non erubuit. Sic fecit experimentum.

℞. corticum ~~[illegible]~~ aurantiorum acidorum N. iij. coquant in aquae font. ~~lbb~~ vij.

ad dimidium partium consumptionem, colatura edulcoretur sacchari albi q. s. ut fiat apozema simplex, ex quo sumantur cochlearia aliquot ter, quater ve in die. Hoc remedium magno cum successu praescripsi, ait, si nulla pars placentae post abortum vel partum remanet, neque ulcus est matricis vel in uteri orificio interno et in canali uterino intus, ubi vasa eroduntur, vel in utero carie, unde sanguis aliquando magno impetu fluit observationibus ibi enarratis. Addit fere eadem animadvertit cl. Stahlius. Absentibus his casibus non solum efficax, verum etiam tutissimum est remedium; secus vero multa adstringentia, et diversa sistentia, quae vulgo praescribuntur, nauseam, inappetentiam, alvum adstrictam, et cephalalgiam creant; nihil autem his simile ex usu supradicti medicamenti contingit. Hoc remedium, inquit, mihi valde familiare est, et semper efficacissimum inveni. Quod dixi de adstringentibus et diversis sistentibus manifestum facit Hamilton casu sequenti: Ex consilio cujusdam Medici mihi amici, jam praedicto apozemati corticibus aurantiorum parato addidi folia plantaginis, aliaque nonnulla quae ad eundem effectum spectare vulgo existimantur, verum id feci à diverso successu, nam diversi exinde reflectebant, (quod saepe ex adstringentium usu compertum habui) et ventriculi antea memorati morbi supervenerunt.

Alius Medici quorum mos est nimis copiosa semper pharmaca praescribendi, et in Consultationibus aliorum praescriptis semper aliquid addendi, non immerito sunt irridendi, sicut Ignorantiae merito ex hoc accusandi.

Suadetur 2°. quia contra regula ex pluribus simplicibus, quibus similem virtutem in iis Medici tribuunt, potiora efficaciora eligere discimus. Experientia edocemur corticem Peruvianum pulverisatum in febribus intermittentibus et remittentibus prae ceteris amaris efficaciorem esse, dummodo debita Ignorantiis praeparatio fuerit praemissa.

Alius discimus, quod si ex pluribus quatuor nempe, vel quinque, vel ex morbis curatantum appareat indicatio, unicum medicamentum in omnibus valet, et forsan longe magis (licet Pharmacopolis et Medicis nonnulli recusent) quam si Medicus suam chartam ab extremis usque marginibus pharmaceutico atramento denigraret.

Sic etiam manifesta est efficacia pulveris perlarum in diarrheis continuationibus, quod duobus exemplis duarum feminarum declarat Amilcton, quarum prima post multa adstringentia frustra praescripta, ex hoc pulvere sumpto hora meridiana, et hora somni bene habuit: Alia 2a. [illegible] diarrhoea diuturna vexata, post multa cathartica adstringentia, et opiata inanie applicata, pulver. perlarum ℈j. tertia, vel quarta quaque hora adhibito integram sanitatem mire est adepta. Efficax etiam talis pulvis per-

larum adeffervescentiam in sanguine, et intestinis supprimendam, habetque non solum humores obtundendi, sed et eorum acrimoniam cohibendi.

De oleo amygdalarum dulcium, vel seminis lini efficacia leniendis doloribus, quibus non raro atrocitate, et saevitia non nullae foeminae sub tempore Catameniorum corripiuntur, sive a vasorum uteri angustia, sive a sanguinis, aut alimonia crassitie, aut acrimonia, repetito certior factus fuit Amilton; nam ad ℥ß vel ℥vj. pro se velum syrupo violacio mane et vespere sumptum per plures dies, solo tempore Catameniorum intermittendo, praeceteris omnibus praestantius esse pro iisdem doloribus fuit edoctus; imo ait quod foeminis hinc cedunt remedio quam anodinis, et aliis quibuscunque, deinde quequod menses non vehementer ipse eosdem augent dolores. Non solum in praedicto morbo eluget huius olei efficacia, sed etiam in asthmate, ubi rami tracheae vel a morbo vel a natura angustiores sunt, vel humore aliquo acri convelluntur, nam ex usu eiusdem vellini aegrotantes facilius respirant. Thomas Sydenham nullum lambitivum in morbis pectoris praestantius invenit quam oleum amygdalarum dulcium. Prodest etiam in dolore splenetico, de quo potest videri Amilton, et Wathenius in Hippocrate Chymico, qui oleum lini utrinsalubre praedicat, quod non semel expertus sum ipse.

Non minus efficax est in dolore nephritico, ubi renes materia nonnunqu-
am viscosa, vel minutioribus calculis opplentur; lenit etiam urinæ, et du-
ctuum urinariorum acrimoniam, et ureteres laxando quam maxime prodest,
quod in Sexagenario observavimus asthmate, et calculis laborante, qui
ab assumpto lini oleo ad duo vel tria cochlearia mane et vespere ali-
quot septimanis levatus fuit asthmate, sed etiam fere indolenter calcu-
los eiecit, cum antea æquales calculi non sine magnis torminibus fue-
runt expulsi. In dolore colico etiam pertinaci à pituitosa materia ~~a~~ in
persistenti intus intestinorum adhærente magnum pariter levamen
affert idem oleum eodem modo sumptum ac in doloribus, qui sub
tempore catameniorum adveniunt, ut supra diximus. Usus etiam
huius olei præmisso vel mediante cathartica longe facilius et sine in-
flammationis periculo nonnunquam suam operationem perficiunt, ut
experientia quotidiana demonstrat. Confert quoque est in vomitione
nimia et diuturna prægnantium, nonnunquam à conceptione ad par-
tum perducta; laxat enim, et emollit, et postea ope catharticæ vomi-
tus compescit. Utilissime etiam adhibetur in nimia ad abortionem pla-
centis, et in mensibus postremis graviditatis sine abortus periculo
ob maiorem tunc temporis firmitudinem. Hoc expertus etiam Hamil-
ton. Nunc autem aliqua ex propria luce et experientia incomperta
non erit adducere, ab aliis vero proposita prius. Sit equidem Primum

Jusculum simplex pulli gallinacei in cholera morbo à Sydenhamio tantopere laudatum. Datur enim hoc Jusculum primis horis copiose, postea tertia quaque hora, tum et etiam per injecta. Aliquando, dum adest urgentia exhibentur guttulae aliquot laudani liquidi ipsius Sydenhami, vel in ipso Jusculo vel in aqua cinnamomi, nihil praeterea sive cibi sive potus aegrotanti assumendum praescribendum, injiciatur. Externis autem applicetur repetitis vicibus animalis omentum recens extractum. Adeo quidem neque multa neque exsplendentia ac composita remedia plus adversus choleram valent morbum quam pretiosiora quae in Officinis Pharmacopolarum habentur medicamenta.

Sit secundum: in diarrhoeis vel cum vomitu vel sine illo à cruditate ventriculi ortis nihil praestantius inveni quam decoctum simplex chamomillae calidum repetitis vicibus assumptum, corrigit enim nauseam, vomitum, evacuationis impetum, lenit quoque ventris dolores, qui nonnunquam cruciant. Bonetus Medicina Septent. pag. 384. hoc confirmat. Simon Pauli in Quadripartito aquam ejusdem destillatam pro pleuriticis singularem praedicat.

Sit 3.tium radix contrayervae, cujus virtutes contravenena tam interna quam externa, sive assumpta sive intus genita, miris laudibus à Curvo in Memoriali variorum simplicium ex India extolluntur; ita ut propria experientia in quamplurimis febre maligna laborantibus, et in agone constitutis, affirmet ipsos hujus radicis liberatos fuisse. Dosis autem in pulverem redactam ad grana XX in ℥ij. vel iij. aquae cardui bene-

dicti in febre maligna felici cum successu exhibuimus. Sit 4.um decoctum
simplex radicis serpentariae a Benedicto Victorio Faventino in sua Empiri-
ca ut secretum, et valde expertum adductum ad rumpendum pleu-
ritidis apostema, dum resolvi nequit, et ad suppurationem tendit; nam si
quater, ait, in die naturali bibat ℥iiii aquae radicis serpentariae calidae
aegrotus, videbis optimam curationem dispositi apostematis pleuritici,
eius mundificationem a sanie, et prohibitionem futuri empyema-
tis et phthisis. Idem fere docet Curvo in Polyanthea. Baglivus in
appendice ad asthma eodem decocto utitur ad praecavendum funes-
tum pleuritidis empyema, addit autem folia veronicae recentia, et
si morbus sit febris acutus, et inflammatoria pulmonis eius natura,
loco veronicae addit radicem scabiosae.
Credibile autem est hos A.A. re-
medium hoc ex Faventino assumpsisse; et Nos equidem horum dua-
rum A.A. assertis experimentum fecimus simplici radicis serpentariae decocto,
ut Faventinus, inquit, in quodam medico, qui ex pleuritide in suppu-
rationem, et empyema factum properabat, et ex eius usu per plures
dies, praeter omnium spem sanitatem perfectam fuit adeptus. Hoc idem
observavimus anno proxime praeterito in quodam Canonico Prae-
monstratensi. Haec et alia quamplurima veritatem huius regulae ma-
nifestant. Attamen ut clarior evadat, certiorque appareat.

Sit conclusio:

Remedia simplicia meliora sunt compositis, et ex his, quae minori simpli-
cium copia praeparantur. Hinc conclusioni subscribunt gravissi-
mi A.A. Moyses Charras refert virtutes miras medicamenti
simplicis salis viperini adversus venenum viperis tyrannidem. Zwelferus
increpat composita medicamenta: cum arduum sit, inquit, cognos-
cere quomodo res naturales inter se invicem agant, consilio magno nobis sit,
ut simplicitate in remedio contenti, in cognitione tot tantarumque
diversarum rerum labore inutili supersedeamus, et partiores nos prae-
beamus, atque vel uno simplici simpliciter ad quod a Deo conditum est, vel
saltem paucioribus, inter se tum manifeste, tum occulte non contrarian-
tibus medicinam faciamus.

Fernelius ait: tametsi quaedam seorsim
comperta sint similes effectus edere, plerumque tamen talibus quibusdam
viribus omnino dissentiunt, ut idcirco si in unam eandemque compositio-
nem concurrant, non sese iuvent atque corroborent, sed contra peri-
mant atque pervertant; nam qui fieri possunt compositionis tantae vires ex
simplicium viribus conflari, nisi etiam usu compertum fuerit, eas sibi omni-
no consentire; ut enim non omnia, quae dulcia sunt sapore, si concurrant
dulcem, eundemque saporem proferunt, ita neque omnia, quae adver-
sus venenum seorsim comperta sunt, vires habere permixta. Joannes
Schosshamus, et Doncellinus iisdem fere verbis hoc idem animadvertunt.
Ettmullerus monet quod in praescriptione formularum quibus mul-

titudo sit vitanda, quia nec Medico, nec remedijs, nec aegroto convenire videtur. Non Medico, quia ignorantis cujusdam videtur indicium tanta sub magistralibus compositionibus farrago: nescit enim debitum delectum instituere pro illo casu, et superficialem materiae Medicae cognitionem innuit. Laboramus abundantia potius, et luxuria remediorum, quam penuria; selectis solum opus est, quae vix quam per experientiam obtineri possunt. Nec remedio convenientis ex pluribus compositio, nam impossibile est quod plura, in uno composito vel manifeste vel occulte non contrarientur. Minus denique aegroto proficua est multitudo cum margaritis simul cum stercore ingerantur ventriculo, qui si in aegris languet, et consueta horret, multo magis insueta medicamentosa nauseabit. Nunc autem probatur Conclusio ratione, et exemplis ab experientia desumptis. Ratione, quia si pharmacum purgans, apozema, aut pillulas &c. praescribuntur ex pluribus simplicibus (hic loquimur de medicamentis magistralibus) vel omnia quae in compositionem ingrediuntur, sunt ejusdem virtutis vel diversae? Si ejusdem, unum, aut duo ad plurimum efficacioribus et magis comprobatis sufficiunt, reliquis merito profligatis. Si sunt virtutis diversae, ergo cum tot sunt, pugnam, et seditionem necessario inter se habebunt. Quid inde? Altercando grave salutis detrimentum. Confirmatur: quia si talis pugna inter pauca observatur, potiori iure inter multa erit spectanda. Frustulum ferri

viridis lacte permixtum ipsum coagulat, vel albumine ipsum dissolvit, quod dependet à diversitate rerum quibus permiscetur. Propterea patet quod plurima medicamenta quae seorsim et separata sunt proficua, et salutifera, fiunt venenosa permixta, et mortifera. In argento vivo, vitriolo, et nitro hoc ipsum evenitur, quia separata quam plurimis medentur morbis, sed post ipsorum unionem et mixtionem resultat sublimatum. Et hoc ipsum ostendit vitriolum, et nitrum quae seorsim adhibita non solum nihil mali inferunt, sed imò potius nitrum purificatum, et vitriolum distillatum idest spiritus vitrioli, aut oleum vitrioli sunt efficacissima remedia, si unumquodque seorsim propinetur, pro febribus ardentibus putridis, et malignis, necnon pro sanguinis orgasmo phlogosique compescendo; attamen commixta venenum fiunt corrosivum, quia ex illis aqua fortis resultat. Hinc Medici non semel propter ignorantiam et commiscendi remedia licentiam errant summopere dum in potionibus nitrum purificatum, aut sal prunellae cum oleo aut spiritu vitrioli commiscent, nam loco attemperationis, quam intendunt, erosionem solidarum et liquidarum partium consequuntur cum maxima aegrotantium pernicie. Nec nos seducat Riverius, qui in eundem errorem incidit Cent. 4. observat. 21

ubi duobus ægrotantibus ubi sal prunellæ et spiritum vitrioli in propor-
tione commixta præscribit. In 2do ℥j. salis prunellæ et ʒß. spi-
ritus vitrioli mane et sero in unoquoque haustu permiscuit; Lotharius
autem et alia adhibita cum omnia, aut in pejus merent, alia præs-
cripsit. Ex hujus ægri observatione nihil boni ex tali remedio co-
ligere possumus, imo potius de magna ipsius noxa suspicari li-
cet.

In 1°. qui curatus est, inquit, à febre maligna purpurata peri-
culosissima hoc præcipue remedio scilicet ℥j. salis prunellæ et spi-
ritus vitrioli gutt. x in unoquoque ptysanæ haustu. Fidem in hoc
casu Riverio non adhibemus, quinimo credendum putamus, ægro-
tantem suæ sorti potius, fortique ipsius naturæ gratias agere debuisse.
Non solum hic aberrat circa hoc Riverius, sed etiam in aliis locis.
Item lapide Zwelferus in Pharmacopea regia fol. 163. ait:
felix simplicibus novit, qui tollere morbos; pro quovis morbo est una
vel herba satis: cui tamen ex uno multorum noscere vires concessum
one dicas, ille beatus homo est. Et Lucas Tozzi in Medicina Practica
ait: adeo incerta sunt, quæ de medicamentorum auxilio circumferuntur,
ut hominis sententia non sit illa in medium afferre probareque: Quis
enim illorum virtutes unquam bene explicare, aut quibus viis illas ex-
erceant, invenire posse confidet? Finge exploratas, inventasque quæ-
quis unquam asseret à mixtura et compositione aliarum rerum

nocumentum. Unde fit, quod idem alteri optimum nocivum sit.

Non solum per mixtionem immutantur medicamenta, sed etiam per praeparationem, ut patet in aperitivo croco Martis, aut Veneris sulphure praeparato, qui lotione inutilis, et sine virtute remanet: ideo Zwelferus ait: ex his patet, quam male saepe numero eas conjungamus, quam stupide et stulte ipsas non raro praeparemus. Hoc ipsum confirmat etiam sal tartari, quod mixtum cum aqua fontis, fit menstruum capacissimum ad extrahendam tincturam foliorum sennae, rosarum, Rhabarbari, et aliarum quamplurimarum rerum vegetabilium, at si cum vino misceatur, incapax omnino redditur ad quamcunque tincturam extrahendam. Similiter liquores qui separatim frigent, commixti adeo calent, ut vix manibus contineri possint. Hoc experimur in oleo vitrioli, et oleo tartari, quae si iungantur, cum tanto fervent impetu, ut vas nonnunquam rumpatur. Experientia etiam patet, quod oleum vitrioli, aut sulphuris si potionibus misceatur pro febricitantibus, et his qui cibum vomunt, sunt valde utilia, tam pro febris attemperatione, tam pro sistendo vomitu, pro inhibenda putredine, et pro corroboratione ventriculi; attamen si his potionibus, in quibus permixtum est oleum vitrioli aut sulphuris, addantur margaritae, coralliaque ppta. enervantur pro febris attemperatione, et remanent, aut fiunt praedicta olea inutilia pro tali intentione,

quia ab alkali margaritarum aut corallorum retunditur oleorum
acidum, itavi iam ab acido vitrioli acrimonia humorum non
potest corrigi, pro qua invertenda praescribebatur. Hinc luce clarius
apparet, quod dum multa permiscentur, unum alterum destruit,
remanentque ad nimis infructuosa per unionem, quae ante ipsam
erant proficua. Caveant igitur Medici dumosi, et ex Senoiis
nos pauci, ne in potionibus permisceant acida cum perlis, corallis etc.
pro acrimonia humorum corrigenda ob rationem dictam. Nec
permisceantur acida cum salsuginosis, nec Mercurius cum chalybe
ex Symbalda, quia nunquam boni effectus emergunt, immo ex ta-
libus mixturis fatalis, et morbis noxii observantur eventus. Notare
licet quod Chymiam ignorantes aut despicientes miscere laborantur,
miscenda aliqua medicamenta, ut relata, et alia quae separata,
et seorsim adhibita utilissima sunt, permixta vero perniciosa, et inu-
tilia redduntur. Itaque vero facile contingat, securius, meliusque
erit Consilium, simplicibus uti et separatis, aut si opus fuerit compo-
sitis, ex paucioribus tamen ingredientibus iisque valde cognitis,
et experientia compertis. Haec quae hactenus dicta sunt, tam certa,
et stabilia videntur, ut nullus possit in dubium illa revocare, prae-
cipue illi qui artem Medicam mediocriter exercuerunt; nihilomi-

nisi autem suspicor, et non immerito, nihil esse proficuum quod de documenta apud vulgares Medicos, et ignarum vulgus, quam opinio plura medicamenta praes-cribendi adeo invaluit, ut tantummodo Medicus doctus, et peritus habeatur, qui copiosa remedia, et schedulas ex pluribus compositas exteriusque dosis suis praescribat, et repetitas frequentesque visitationes apponat. Ab his Medicis quidam seponunt, maximam solam laudem adquirunt Deo, et quicunque ex vulgari grege; abundantia enim remediorum, et visitationum frequentia con-quiescunt valde, promptamque habent consolationem in desperatis infirmis, aiuntque communiter: operatus pro illo Medicus quidquid in Arte lo-cum habebat; quomodo retribuendum erit ei pro illa summa diligentia, cura, solicitudine, repetitisque visitationibus quas adhibuit? Itaque non solum non diffamatur Medicus ob desperatos aegrotos, quin imo magnam aestimationem, et laudem propter errores adipiscitur, et a vulgo inter doctissimos celebratur: ideo Daniel Leclerc in sua histor-ia Medica ait: quod si hodie Hippocrates viveret, vix operi aliquis ipsi fideret, seseque ejus curationi committeret, quia parcissima remedia ad-hibebat.

Diximus propter errores, nam ut iam supra manifestum manet, plura medicamenta praescribere, eaque ex multorum farragine composita perniciosus est error. De multitudine remediorum tam in acutis quam in chronicis morbis conqueruntur, ac exclamat Ba-

quod lib. 2. prax. cap. 11. omnibus, ait, ex possimus nomine tantis utuntur remediis, propterea quod (sicuti a pluribus non sine animi moerore audivi) fieri non potest, ut inter tot adhortata remedia, unum demum non reperiatur, quod morbum valeat retundere. Ex Medicorum stupiditatem, qua permotus nequimus continere quin hic repetamus quod Appius Claudius populo Romano palam cum Lysistro[?] mendicanti, increpavit: magna patientia, inquit, Patres conscripti, per plures annos caecitatem meam pertuli, at nunc quoque me surdum quoque optarem, cum vos tam deformia agentis consilia praesentiam.

Nonnulli prosequitur Baglivus, spenosis[?] quidam, sed fallaces in remediorum applicatione gradationes constituunt, alia dicentes magna, alia levia, et primo a falso putatis levioribus incipiunt, deinde sensim ad maiora, si morbus non cesserit, ascendunt; praescribunt itaque (in morbis praesertim pene[?] toto plenis) primo purgationem, deinde phlebotomias, vel econtra, enemata iniiciunt, synapismos adhibent, et tandem haec omnia veluti in orbem repetunt, donec observaverint, vel non declinare, vel in peius ruere morbum, et tunc ad remedia, ut aiunt, magna perveniunt, vesicantia, scarificationes, synapismos, purgantia fortiora, et cuncta modi quam plurima, perque si propositum nequeunt assequi

possunt, ad expectationem casus se tandem convertunt, nec interea exhibeant ab ea Natura casum expectare quem tanta remediorum sarcina, et methodo tam contraria valenter perturbarent? Nec mirer minus quod Baglivius dicat: et primo à falso putatis levioribus incipiunt idest curationem, nam licet tanquam axioma inter Medicos communiter dicatur; à levioribus esse curationem incipiendam, secundum Archigenis opinionem verum, et indignum Medico est à levioribus auxiliis semper curationem inchoare. Nam in primis refertat Hyppocratis quin aphor. dicit: extremis morbis extrema remedia sunt adhibenda. Secundo Galenus 5. meth. cap. 15. ita fatur: sicut Medicorum nonnulli censent à parvis incipiendum auxiliis, et inde in majora, in morbis ubi non impendet periculum (nos addimus et in illis qui non aggravantur) vera est opinio; ubi impendet alienissimum est à ratione à minoribus auxiliis curationem auspicari, quia indicans praeter naturam unum indicat, quia omnium est contrarium; ergo si indicans potentissimum remedium remedium exposcit, leviora quoque indicare non possunt, quia indicaret plura. Quidnam in pterigio proficeret detergentibus ubi, licet per spatium centum annorum adhibeantur? cum solum remedia potentiora sint proportionata? Falso itaque à levioribus est incipiendum. ~~Dixi~~ Dixi.